





L. K. 350.11.

II f  
478

MEDITATIO II.  
DE  
**DIFFERENTIA**  
**ARGUMENTORUM**  
**RHETORICORUM**  
**A LOGICIS,**  
INDULTU INCLYTÆ  
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,  
SUB EXAMEN ERUDITORUM  
PUBLICÉ VOCANDA  
PRÆSIDE  
**M. PAULLO DOERINGIO,**  
REICHENBAC. VAR.

ET  
RESPONDENTE  
**CHRISTIAN. GOTTHOLD WILISCHIO,**  
LIEBSTAD.

AD D. XXI. JUL. MDCCXIV.

H. L. Q. C.

---

**LIPSIAE,**  
TYPIS IMMANUELIS TITII.

F. D. Rott. 48.

MEDITATIO II  
DIE FERENTIA  
ARGUMENTORUM  
RHETORICORUM  
A LOGICIS  
ARCHITATIS PHILOSOPHICAE  
SUS MAXIMI ET EDITORUM  
LUDVICO COELIO



LIPSIENS  
TYPIS WILHELMI FRITZI



## B. C. D.



Nter varia bona a Deo  
homini concessa, non in-  
fimum locum tenere ve-  
ritatem, ita inter Mora-  
listas constat, atque adeo  
evidenter demonstra-  
tum est, ut prolixius il-  
lus deducere frustraneum foret. Illud quo-  
que quod virtus summum eorum bonorum  
sit, post collocatam in ostendendo eo viro-  
rum eruditorum operam, indubium esse,  
censeo. Illa inquisitio igitur veritatis, qua  
subili quidem, sed inutili speculatione niti-  
tur, neque aliqua ratione ad summum bo-  
num hominis aliquid conferre potest, ina-  
nis & frustranea esse, mihi videtur. Occu-  
patus in priori Dissertatione, qua ante ali-  
quot menses Vitemberge habita est, eram, ut

A 2 ipsam

ipsam naturam & indolem diff. argum.  
 Rhetor. a Logicis ex suis fundamentis eruerem. Ne vero quadam qua nullius usus  
 sunt, queque saltim intra limites nude contemplationis subsistunt, protulisse videar, qui  
 fructus ex illo labore percipi possint, ostendam, quidque ad justitiam per pruden-  
 tiā obtinendam illa faciant, curatus &  
 clariss exponam; b. e. differentiam argu-  
 mentorum Rheticorum a Logicis Pra-  
 dicam demonstrabo. Secutus ubique sum  
 sana rationis principia, utque a prejudiciis  
 & affectibus, invitis & insciis nobis saepe se  
 insinuantibus nostrasque meditationes tur-  
 bantibus, eo magis securus esse possem, non  
 solum nullius juravi in verba magistri, sed  
 cogitationibus meis ubique insistens, nullum  
 eorum ne consului quidem. Sincero igitur  
 animo veritatem investigavi, si proinde hu-  
 manum quid praeter spem mihi acciderit,  
 quia ex affectu in veritatem illud factum  
 est, mitius atque aquinus de hisce cogitatis  
 meis a B. L. judicatum iri, spero.

§. I.

**U**T quid praxis sit eo rectius capere possis, ante omnia quotquot colligere potes exempla in animum revocanda tibi erunt: Nobis diversas species eorum exemplorum, quæ illas ideas conjunctas in se continent, quibus praxeos nomen homines impo- fuerunt, recensere, jam non vacat; cum partim multis difficultatibus tentamen hoc obnoxium sit, partim chartæ angustia id prohibeat. Hoc vero si proprio marte executus fueris, invenies sequentes conceptus essentiales, h. e. qui ita in iis sint, ut cum ea ratione in nullis aliis objectis deprehendantur, hæc ab omnibus distinguant, in illis deprehendi. Primo quidem dispositio quadam animi, quæ ita vel componere, vel sejungere aliquot res novit, ut certum quoddam tertium inde oriturum esse, homo colligat, quam vulgo Theoriam appellant. Secundo ipsum rerum in idea cognitarum exercitium, sive executio ejus, quod Theoria docebat. Unde definitio sequens praxeos nascitur; Est executio Regularum artis. Neque vero Artes ita stricte sumimus, ut nihil, nisi vel disciplinam vel mechanicas artes, ut vulgo accipitur, sub se complectatur, sed notitiam quatinus, quod si hæ vel illæ res ita vel aliter a nobis conjungantur, & certum tertium quoddam inde proveniat, per artem intelligo. Neque regulas arcte adeo accipio, ut saltem chartæ illata aut ore tradita præcepta nota-

in:

A 3

rent,

rent, sed quamvis cognitionem proportionum aut relationum, quae nostræ potestatis sunt, unde nova res resultet, mihi h. l. significant.

## §. II.

Sic facile apparet quantum a facultatum atque potentiarum nostrarum effectibus naturalibus praxis hæc differat. Conveniunt enim in eo quidem, quod ex causis quibusdam Effectus hi profiscantur, convenient illi porro in eo aliqui Effectus potentiarum nostrarum naturalium, quod Regulas illas & causas ipsas cognoscamus, ex quarum combinatione diversa effectus diversi eveniunt. Differentia vero primaria est, quod ipsa causarum illarum combinatio in potestate nostra sita non sit, adeoque effectus ii non ex nostra voluntate, sed ipsius Naturæ arbitrio, dependeant. Ne mo igitur artis effectum illum vocat, cuius causarum conjunctio in nostra potestate non est. Cum vero ad omnem praxin, sicut modo demonstravi, pertineat, ut effectus ex regularum artis applicatione sequatur, ille effectus praxis vocari non potest, quem elicere in potestate nostra positum non est. Sic, utut principia pateant, unde circulatio sanguinis fiat, quia tamen ipsa illa principia nemo conjungere novit, naturalem illum motum sanguinis nemo artis effectum esse, dicit. Simulac vero illa principia ita disponere quis potest, ut, qui naturalis ante erat, iam ex arte sequatur effectus, effectus artis medicæ, seu praxis artis medicæ vocatur.

## §. III.

Fluit vero ex conceptu hoc essentiali praxeos ille cui

cui & ipsi notionem præeos homines imposuerunt, conceptus: scilicet quod omnis ille effectus, quia ex voluntate hominis pendet, moralitatis respectum magnificat. Atque in eo significatu strictiori nos etiam hoc loco vocem illam accipimus. Non igitur de ea praxi differentia argumentorum Logicorum & Rhetoriconrum agemus, qua circa diversam forte inventionem eorum operosam expolitionem & culturam rhetoriconrum, bonum ordinem stringentemque simplicitatem & claritatem logicorum argumentorum versatur; sed de praxi differentia ejus, quatenus moralis est illorum argumentorum applicatio. Moralitatis vero consideratio omnis eoredit, ut quounque voluntati divinae aliquid conveniens vel non conveniens sit, dispiciatur. Suppono enim, quod hodie Moralistarum neminem negare scio, quod omnis moralitas Dei voluntate nitatur. Considerandum igitur erit, quantum diversa argumentorum dictorum applicatio voluntatem Dei vel sequatur, vel cum ipsa pugnet.

## §. IV.

Omnis igitur hominis actiones justitiae normam respicere debere, nemo, credo, negabit, qui justitiam nihil aliud esse, quam præcepta voluntatis divinæ, ut omnes hominum actiones omnium aliorum hominum utilitatem sive salutem respiciant, secum perpenditer. Et quia omnis rationalis creatura legem illam agnoscere potest, omnem quoque rationalem creaturam illa teneri, ex Juris Naturæ fontibus patet. Lydius itaque lapis moralitatis actionum hominis

minis omnium hæc constituta in ratione sana leges di-  
vinæ sunt. Extra omne vero dubium possum est,  
diversam applicationem sive practicam differentiam  
argumentorum logicorum & rhetoricorum, ex libera  
voluntatis humanæ electione pendere, adeoque esse  
quoque actionem hominis. Ergo & bene & sinistre,  
sive & convenienter Dei voluntati, & contrarie, ea ap-  
plicari posse, partim in se satis clarum est, partim paulo  
post clarius elucescat. Sic existentia practicæ differ-  
entiæ logicorum & rhetoricorum argumentorum sâ-  
tis demonstrata esse, mihi videtur. Nunc de essentia  
quoque, sive ipsa natura differentiæ præxeos laudato-  
rum argumentorum dispiciendum erit.

Nascitur ex dictis statim definitio differentiæ præ-  
ticæ horum argumentorum: quod nempe sit, diver-  
sa ratio applicandi hæc argumenta, ut per illa justitia  
vel promoteatur, vel sufflaminetur. Omne punctum  
itaque considerationis nostræ diversa argumenta ista  
applicandi ratio absolvet. Diversæ autem ejus appli-  
cationis ratio aliæ atque aliæ accedentes circumstan-  
tiæ sunt. Rite igitur in demonstratione hac perrectu-  
ris dicendum ante omnia erit accuratum quoddam  
fundamentum, cui diversitas ea circumstantiarum  
innitatur, ut fontibus adæquate cognitis certo de nu-  
mero atque ratione omnium accedentium circumstan-  
tiarum constet, atque ejus rei occasione exortarum  
quæstionum decisio eo promptius institui possit.

§. VI.

Antea vero quam de ipsis circumstantiis illis videre possimus, res paulo curatius attendenda erit, & quid in genere justum & quale ejus Criterium sit endandum. Ut omnem, qua supersedere possumus, remoram evitemus, quod alii Moralista satis abunde jam demonstrarunt, supponamus, quod scilicet omnis justitia a Dei voluntate pendeat. Illud vero scrupulum moveare posset, quidnam illud sit, quod cum voluntate Dei convenit, & quale ejus sit Criterium? Hoc autem ex intentione Dei patet, quam ex fine rerum a Deo creatarum metimur, de quo ex facultatibus, quas Deus rebus iis adjecit, judicium ferendum nobis est. Cum vero facultates illæ variis finibus possint impendi, bene semper de primario atque a Deo intento fine judicabis, si, quis ex illis societatis humanæ utilitatem maxime promoteat, probe perspexeris. Justitia igitur in se spectata nihil aliud est, quam facultatum nostrorum potentiarumve naturalium secundum Dei voluntatem instituta directio.

Deum ens summe intelligens esse, nemo credo negabit, qui Deum omnium perfectionum, adeoque ipsius etiam intellectus autorem esse, perpenderit. Intellectus autem non est, nisi unus. Ergo intellectus sibi nunquam contradicere potest. Ens igitur intelligens duo sibi contrariantia velle nequit. Velle autem hominem existere, ejusque existentiam continuari, & velle, homini vere malum esse, duo penitus sibi con-

traria sunt. Vere malum enim nihil aliud enti cui-dam est, quam quod durationem ejus vel impedit, vel destruit. Ergo Deus nihil, quod malum homini sit, potest velle. Ergo omne, quod Deus homini contingere vult, bonum est. Ergo omnis Dei voluntas salutem hominis respicit. Criterium itaque voluntatis divinæ est salus hominum. Prout vero argumentabamur ex Dei voluntate, ut existeret homo, quod Deus omne hominis bonum velit, ita jam porro inde sequitur, quod, quia omnes homines existunt, Deus velit ipsos omnes existere. Unde rursus patet, quod igitur homines omnes, cum unus eorum non magis existat quam alter, Deus æqualiter amet. Ergo prima Dei voluntas atque intentio est omnium hominum salus.

### §. VIII.

Salus vero hominum omnium pro diverso hominum statu alia atque alia ratione per diversas potentias illas naturales obtinetur. Hic enim fontes præbet circumstantiarum earum differentium, quarum in §. VI. mentionem injecimus, quæ modum obtinendi justitiam diversimode variant. Scilicet ex dictis hactenus constat, immutabilem Dei voluntatem eam esse, ut salus omnium hominum promoveatur. Deditque Deus homini ad id certas facultates certaque media, quibus illam consequi possit. Omnem vero illam economiam divinam, postquam affectus in rationem dominari coeperunt, & non in unquam etiam dominantur, iidem turbaverunt atque everterunt. Hoc terum statu

statu facile comprehendimus, malle Deum si aliter fieri non possit, ut finis a se intentus particularis potius, qui ex fine quarumvis facultatum a Deo concessarum judicatur, impediatur, quam universalis, quem Deus ab omnibus hominibus observari, adeo serio se velle, ostendit. Seu ut concinnius loquar, mavult Deus rem ipsam a se serio intentam obtineri, quam modum ad illam rem pervenienti a se præscriptum non negligi. Justitiam igitur obtainendi remedium & modum rationem Deus dedit. Plurimi autem hominum affectibus trahuntur, non rationem audiunt, qui adeo, si per rationis dictamen justitiam promovere deberent, omnis justitia exularet. Melius igitur, h.e. magis conveniens voluntati Dei est, modum illum a Deo intentum negligi, quam sanctissimæ justitiae divinæ quicquam decadere.

## §. IX.

Dux igitur circumstantiæ maxime sunt, quæ rationem divinam voluntatem sequendi variant. Homo vel affectibus trahitur vel rationi obtemperat. Hic voluntati divinæ convenientem modum habet. Ille modum quandam contra voluntatem Dei sibi temere elegit. Hunc sapientem vulgo vocant. Illi autem quale nomen tribendum sit, neque in Seneca, neque Cicerone aliove moralium scriptore inveni, quare eum non sapientem jam vocabimus. Per sapientem igitur intelligimus tales hominem, qui purgato prejudiciis intellectu, eliminatisque voluntatis passionibus, nil nisi sanam rationem judicando sequitur. Per non fa-

pientem vero significamus hominem, qui vel stupido  
plane intellectu vel vegeto quidem naturaliter, sed  
obfuscato præjudiciis & affectibus in dijudicanda ve-  
ritate utitur. An igitur, cum ejusmodi homo illegi-  
timus ad voluntatem Dei implendam medio utatur, ju-  
ste illud adhiberi possit, queritur.

## §. X.

Justitiam inter omnes homines valere Deus vult.  
Et sapientes vero & affectibus dediti homines sunt. Er-  
go etiam in utrisque justitia promoveri debet. Diversa  
autem ratione utriusque justitiam agnoscunt. Ergo diver-  
so etiam modo illa ipsis proponenda est. Modi ii enim  
diversæ sunt rem ipsam obtinendi viæ. Optio vero  
nobis concessa a Deo est eligendi ex iis modis eum,  
qui omnium commodissimus & aptissimus ad asse-  
quendam ipsius voluntatem nobis videtur. Atque  
hæc aptitudo modum quam optimum inveniendi pru-  
dentia vocatur. Qui itaque modum fini ineptum eli-  
git, imprudenter agit. Obligatio autem, quæ cuili-  
bet circa modorum electionem, quod nimirum eum  
seligere debeat, de cuius prærogativa præ aliis ad fi-  
nem consequendum in conscientia sua est perswasus in-  
cumbit, facile appareat. Si enim Deus serio vult fi-  
nem, vult etiam media ad finem illum pervenienti  
aptissima. Qui igitur ad finem obligatus est, ad me-  
dia quoque obligatus est. Modi illi vero jam a nobis  
commemorati nihil aliud, quam media finem a Deo  
præscriptum assequendi sunt. Qui igitur ita impru-  
denter agit, quia ita necessario fine primario a Deo in-  
tentō

tento, iustitia sc. excidit, contra Dei voluntatem peccat. Tantum igitur abest, ut homini non licet affectibus & præjudiciis alterius ad promovendam iustitiam uti, ut potius, si haec aliter fieri non possit severe a Deo præceptum hoc sit.

## §. XI.

Argumenta Logica & Rhetorica modi sunt ad iustitiam a Deo præceptam perveniendi. Iustitia enim aliter promoveri nequit, quam ut ille, per quem promoveri debet, eam agnoscat. Hoc per argumenta efficiendum est. Dupli autem ratione agnosciri sive intelligi argumenta ab hominibus, vel per rationem sanam, vel per præjudicia & affectus in priori dissertatione abunde ostendi. Ergo duo hi modi sunt iustitiam aliis inculcandi, eamque ita per ipsos promovendi. Prudentia igitur est feligere utrum argumentorum fini vel aptum vel inconveniens sit. Jam vero, ut modo dixi, in priori dissertatione demonstravi, iustitiae veritatem dupliciter vel per intellectum & sanam rationem, vel per sensuum subitaneum motum atque gratam imaginationis representationem cognosci. Illam rationem cognoscendi vere eruditorum sive uno verbo sapientum esse, hanc ad stupidos aut affectuum caligine immersos pertinere, docui. Veritatis iustitiae itaque cognitio duplex cum sit, modus talis quarendus est, qui utriusque sufficiat veritati. Ejusmodi autem modus plane nullus datur, unde neque eligere talem quandam possumus. Sed duo modi dantur, qui accuratam cum duplice hac cognitione

convenientiarum habent. Unum argumenta rhetorica, alterum argumenta Logica constituant.

## §. XII.

Argumenta dicta igitur primo in confessu sapientum applicari poterunt. Unde queritur an Logica an rhetorica argumenta ibi adhibere justum sit? Justum esse illud omne quod societati humanæ proficuum est, supra ostendimus. Qui itaque aliquid Reipublicæ utile docere vult, juste agit, si ita agat, ne sine suo excidat. Finis oratoris est alterum in suæ sententiæ partes perducere. Ille qui alterum in suam sententiam pertrahere vult, efficiat oportet, ut alter vera esse credat, quæ a se proferuntur. Duobus autem modis veritas percipitur: vel per convictionem intellectus, vel per suasionem imaginationis. Nullus autem sapientum ex imaginationis grata vel exosa representatione veritatem judicat. Hoc enim si quis faciat, eo ipso sapiens non est. Definitioni enim sapientis illud repugnat. Sed sapiens de veritate rei ex clara intellectus perceptione judicat. Qui sapientem igitur veritatem aliquam docere vult, ejus intellectui solida argumenta, h. e. Logica proponat. Ergo in sapientum confessu alia quam Logica argumenta juste non proferuntur.

## §. XIII.

Scrupulus vero ille turbare neminem poterit, quod, si per sapientem hominem emendati intellectus & exculta voluntatis intelligamus, casus accidere non possit, ut argumenta quadam ad ostendendam ipsis verita-

veritatem proferre opus sit; nihil enim dici posse, quod ipsi non jam sciant; adeoque frustraneum fore, illud, quod quis bene novit, nec unquam negavit, argumentis ipsi ostendere velle. Namque sapiens non ille solum est, qui summum emendati intellectus fastigium assecutus est. Sunt enim certi sapientiae gradus, & inferioris ordinis sapientes quoque dantur. Imo neque sapientissimus omnium omnes veritates invenire potest, cum tantæ rei omne tempus vitaæ humanae non sufficeret, omnes scilicet veritates capere & intelligere. Quare omnino aliis quidam novas veritates ipsi ostendere, atque per argumenta Logica demonstrare poterit. Illud tamen haud diffiteor, cum perpaucitales, quales ipsos supra descripsimus, sapientes sint, (pauci enim boni sunt) raro eventurum esse, ut uni aut alteri sapienti persuadendum aliquid occurrat; hoc vero non unquam obtingere, ut ad magnam sapientum turbam oratio dirigenda sit.

## §. XIV.

Alteram partem hominum, qui argumentis ad iustitiam deducendi sunt, quos supra non sapientes appellavimus, si accuratius intueamur, facile videbimus, quod contra prudentiam sit argumentis Logicis eos persuadere velle. Supra enim jam innuimus, quod prudentia nihil aliud sit, quam dijudicatio modi illius, quo commodissime & optime finem nostrum assequi possimus. Contra prudentiae regulas proinde est, modum illum ad finem pervenienti feligere, per quem nunquam finem assequitur. Volumus igitur aliquid, quod

quod iustum est persuadere. Quaritur de modo si-  
nem hunc acquirendi. Omnis veritatis perceptio fit,  
vel a bene instituto & emendato, vel a perduto intelle-  
ctu. Quaratione autem poteris efficere, ut qui in-  
tellectum bene præparatum non habet, capiat verita-  
tes, quæ tamen non nisi a bene instructo intellectu ca-  
piuntur? Adeoque licitum est alteram viam feligere  
veritatem aliis proponendi. Cumque hoc modo sine  
fuo excidat, qui vulgi assensum rationum ponderibus  
evincere vult, justitia vero postulet veritatem illam  
proponi, clarum est, non solum licere in hoc casu uti  
imaginatione & concitatis affectibus plebis, sed omni-  
no præceptum illud esse. Justum enim sive præce-  
ptum a Deo est, id quod voluntatem Dei sequitur.  
Deus vult, ut proponam auditoribus quos præsentes  
video veritatem reipublicæ perutilem. Illud vero  
Deus non vult, ut ego efficiam, ut plebs illam verita-  
tem justitiæ a me propositam per intellectum & non  
per imaginationem capiat. Quia ad impossibile ne-  
minem Deus obligat. Causa igitur in ipsis illis audi-  
toribus est, qui voluntatem Dei atque ab illo datum  
instrumentum cognoscendi justitiam respiciunt & ever-  
tunt.

Si igitur illud accidat, ut ad non sapientum ejus-  
modi hominum turbam verba facienda sint, ut ipsoſ  
perverſoſ eorum veritatem judicandi mores in justitiæ  
emolumentum vertere possimus, videndum est. Su-  
pra eos definivimus, quod non ex intellectu, sed repræ-  
fenta-

sentatione grata mentibus eorum facta aut præjudiciis & passionibus suis de justitia judicent. Illi vero, quorum judicium ex grata imaginatione pendet, ad eos, qui ex affectibus judicant, pertinent. Quare in tres classes illi non sapientes discerni poterunt. Aut enim aliquod studium intellectus emendationi tribuerunt, voluntate inulta relicta, aut voluntatem passionibus suis purgantes, intellectum præjudiciis oppressum reliquerunt, aut utramque animi facultatem inultam nebris & squalore obfuscata habent, ut enim intellectus non emendata satis voluntate errores suos penitus exuere non possit, neque voluntas intellectu vitiis non liberato passiones suas perfecte abjecere queat, utraque tamen facultas absque alterius auxilio utut adæquate emendarine queat, aliquantum tamen excoli potest.

## §. XVI.

Qui intellectum, quantum inulta voluntate fieri potuit, emendarunt, in quantum veritatem capere possint, videndum jam est. Supra satis demonstravimus, illum oratorem juste agere atque prudenter, qui, quas penetrare possunt, justitiae veritates, auditoribus suis proponit. Magnum vero hi homines partem logiconrum argumentorum capiunt, & si a causis rerum & fi-  
nibus inquirendis discesseris, quo passionibus obnoxia voluntas eos pervenire non patitur, tantum non omnia logica argumenta præter ea, quæ affectibus suis adver-  
santur, intelligunt. Ubi vero contra affectus suos pro-  
nunciare debent, cum tanta vehementia eorum sit, ut facile omne rationis jugum excutiant, nullum argu-

C

mentum

mentum intellectum convincens præ voluntate prævalere poterit. Magna itaque oratoris prudentia h. l. requiritur, ut cum omnis norma iustitiae orationis suæ pervasio sit, videat, quis modus adhibendus imprimis sit, ut refractariam voluntatem flectat, finemque suum certissime obtineat, neque argumenta sua sinistre applicando, iustitiae, quæ tamen maxime toti reipublicæ eret futura erat, officiat.

## §. XVII.

Altera classis eorum est, qui naturalibus vitiis suis intellectum haud liberaverunt, voluntatem equidem vitiis puriorem habent, quibus tamen naturalis potius, quam studio ipsorum effecta illa voluntatis bonitas est. Cum vix concipi queat, quomodo bona voluntas esse possit, nisi ab intellectu emendetur, qui tamen si ipse adhuc vitii squallidus sit, voluntatem defacere passionibus suis nequeat. De hisce jam pro diversa affectuum ipsorum mixtura & constitutione diversimode esset judicandum. Cum vero voluntas longe fortior intellectu naturaliter fere semper sit, non est cur multum ab intellectus præjudiciis sibi metuat orator, si a suis partibus stet voluntas. Etenim voluntas, si intellectus representationes sibi contrariantur, eas facile supprimit. Quare longe facilius ad iustitiam hiflectentur, quam quibus corrupta est voluntas. Namque quibus voluntas emendata est, utut suis adhuc laboret præjudiciis intellectus, non tam manifeste perditis affectibus, quam larvam virtutis gerentibus stimulantur. Ii affectus vero utut non formale, materiale tamen iustitiae præstant.

stant. Atque ita semper ejusmodi homo sua sponte in bonum est proclivior. Dummodo jam illorum affectuum naturam orator noscat atque ita concitantia vehementius verba gestus & elocutiones proferat, haud ægre finem obtinebit.

## §. XVIII.

Societas vero humana sive respublica simul ex sapientibus, & non sapientibus hominibus constat & pro diversa horum cognitione diversa quoque & duplex veritas nascitur. Duplii igitur etiam modo veritas & per eam iustitia, proponenda est. Modus hic duplex argumenta logica & rhetorica sunt. Ergo in tali casu felici connubio, ut argumenta hæc conjungantur, bonus orator allaboret. Neque est, cur inde periculum aliquod thesibus suis metuat, ne, si proferat, utraque alterutrum ex illius concisis membris vel sapienter vel non sapienter, illi per rhetorica, hi per logica argumenta, deterreantur, quo minus in suas partes transeant. Si enim sapientes ii tales sunt, quales quidem divisio nostra societatis humanæ eos esse supponit, vere sapientes non forte apparener tales, non affectibus suis fræna laxantes, facile videbunt, rhetorica argumenta, non sibi, sed in vulgi gratiam proponi. Hoc vero non solum non ægre ferent, sed & necessitatem rei fatebuntur & oratorem laudabunt. Hoc enim si ab ipsis haud fiat, vere sapientes non sunt, sed ad vulgi turbam, quibus logica argumenta data non sunt, relegantur. Frustra etiam mentietur, ne logica argumenta non sapientibus sint offendiculo. Aut enim capient pondus & pœnum horum ar-

gumen-

AKT II 498

( 20 )

gumentorum, aut non capient. Quod capere non possint, inde patet, quod judicium ipsorum non ex sana ratione, sed affectibus & subitaneo sensuum motu dependet, Logica autem argumenta tantum ex ratione sunt, unde etiam aliter, quam per rationem, intelligi non poterunt. Judicabunt igitur de argumentis hisce ea non capientes ex affectibus. Aut itaque secundum voluptatem, aut ambitionem, aut avaritiam judicabunt. Voluptuosus opus non esse credit illa magnopere curare aut de illis meditari, quæ a se non intelligi possunt. Sique imprimis alia, nempe rhetorica argumenta videat, frustaneum esse obscuris illis immorari, reputabit. Ambitus a se non impetrabit, ut diuturna meditatione rei, quam se non capere posse, videt, debilitatem intellectus sui clare perspiciat. Sed persuadet sibi facile, tanti hæc non esse, quæ præclarum ingenium suum vexent, & potius igitur sicco pede ea transibit, quam ut profunde de illis meditando sollicitus esse velit. Contra naturam vero ipsam avaritiam est, speculationibus subtilioribus multum incumbere. Adeoque frustra propter logica argumenta ab affectibus sibi mali quid metuit orator.

### §. XIX.

Jam plures specialiores conclusiones, ex demonstratis modo principiis deductas subjungere atque quousque in foro, suggestu, vita communis &c. vel logicis vel rhetoricas argumentis uti, aut præceptum aut licitum, aut plane etiam forte interdictum sit, ostendere, possemus, nisi mallemus perceptis accurate nostris hisce principiis quemlibet suum adhibere judicium, quam Lectori B. prolixa, & tantum non ingrata harum rerum deductione ulterius molesti esse. Deo interim pro concessis ad meditationem hancce per sequendam viribus, sit laus, honor, atque gloria.

• § (o) § •

Pon 114478, Q4

VD18





C. H. 350,11.

157

MEDITATIO II  
DE

II f  
478

DIFFERENTIA  
ARGUMENTORUM  
RHETORICORUM  
A LOGICIS,

INDULTU INCLYTÆ  
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

SUB EXAMEN ERUDITORUM

SC Vocabula

ESIDE

DOERINGIO,

NBAC. VAR.

ET

ONDENTE

THOLD WILISCHIO,

ESTAD.

UL. MDCCXIV.

L. Q. C.

SIAE,

NUELIS TITII.

F. D. Rott 5.48.

